

de Romania, ad quam convocationem fuit dominus Ubertinus, Guidonis de Duxdeo filius, et dominus Petrus de Traversaria de civitate Ravennae; et inter eos pacem composuit in mense septembris. Et instituit, quod Ugolinus de Zuliano de Parma esset comes de Romania per annos VII de voluntate regis, et potestas Ravennae, Cerviae et Bep-tenorii per annos duos, et denunciavit, quod idem comes staret vel stare faceret aliquos in Firone Castricarii et in duabus turribus, donec cognosceretur lis, quae vertebatur inter Rainerium de Ravaldino et comitem Bonifacium de Castrocario.

*Quando Cum Imperator hospitatus est apud Sanctum Proculum, et de destructione castri super Cosnam.*

## CAP. CLXVII.

Sub anno Domini MCCXX dominus Federicus secundus, nepos magni Federici, rex Apulie, a principibus [a] Alamanie in Romanorum imperatorem electus et confirmatus a domino Honorio papa III, ad Italiorum fidelitatem recipiendam, dominum Corradum [b] episcopum Spirensem ac Mezensensem [c], qui cancellarius erat dicti regis, in Italiam misit; qui Faventiam non veniens, Ugulinum de Zuliano, comitem de Romania, in suum locum instituit ad ipsam recipiendam in mense augusti. Cives honorifice eum receperunt, ei in facto [d] obsidum Imolae [A], in his quae praetendebat [e] satisfaciendes in omnibus. Cum autem idem rex Federicus Romam coronaturus veniret [f], secum ducens non magnum exercitum, est hospitatus apud Sanctum Proculum, ubi Faventini ei omnia fidelissime ministraverunt necessaria, datis ipsi regi apud castrum Sancti Petri de Bononia mille quingentis marchis puri argenti; et ob hoc remisit omnia nobis banna facta per suum vicarium vel cancellarium, vel marchionem Montisferrati, vel per aliquem suum nuncium, occasione facti Imolae; et insuper dimisit nobis fossatum a villa Camboi [g] [B], usque hospitale Bonzanini, et a Bonzanino usque Cosnae pontem, et ipsum castrum Cosnae nobis dimisit, donec de ratione cognosceretur, si castrum permanere deberet; et hoc sub doneis et discretis iudicibus. Et haec omnia in scriptis redigi praecipit, et privilegium nobis concessit, fecit atque firmavit et suo proprio sigillo sigillari praecipit, suam gratiam et bonam voluntatem plenissime promerentes, [h] et Tensam [i] [C] no-

[a] de principibus. Sic Codd. Num legendum: a principibus? — [b] dominum Corradum. Supravocatus fuit frater Rogerius, ut ibidem advertimus, et a Muratorio dictus est Anselmus. — [c] et Mezensensem. Supra invenimus scriptum Mezensensem. — [d] ei in facto. Sic C. M.; et in facto, C. V. — [e] quae praetendebat. Sic lego cum C. V.; Cl. Mitt. legit: quae poscebat. — [f] coronaturus veniret. Sic C. V. et sic legi posse videtur, C. M.; Cl. Mitt. legit: coronatus veniret; sed legendum: coronandus. — [g] a villa Camboi, C. M.; a villa Cambri, C. V. — [h] plenissime promerentes. Sic Codd.; sed ut sensus grammaticae procedat, lege: promerentibus, vel promeritis. — [i] et Tensam. Sic Codd., sive, ut aliis scribere placet, Thensam. Cl. Mitt. legit: tenutam, pro tensam.

[A] Vide supra Cap. CLXIII. In Regesto novo Archiv. Bonon., ad ann. 1219, legitur haec rubrica: De protestatione Imolensium pro obsidibus. Documentum vero non habeo in manibus. Id unum scio, Imolenses implorasse opem Imperatoris contra Bononienses et Faventinos, jugum eorum excutere cupientes.

[B] De villa Cauboi, quae erat in territorio Ravennae plebe Sancti Pancratii et spectabat ad archiepiscopum Ravennae, fit mentio in charta anni 1119, Archiv. Archiep. Ravenn., caps. G., n. 2456.

[C] Thensa autem significat currum argenteum, sive simulacrum spoliolum hostilium, nummi fortasse genus.